

ae Episcopum ab Hieronymo C. 131. inter *Viros Illustr.* relatum. Eorum initium est: *Post passionem et resurrectionem domini nostri ihesu christi et gloriosam eius ascensionem* &c. Abrumpuntur autem in verbis: *Ahuc peto domine, ut siquis basilicam in nomine meo* — levi sane dispendio.

Ceterum Codicem hunc iussu *Folknandi* Abbatis *Sitticii* inter annos 1150—80. scriptum fuisse, *Augustinus de Civitate Dei* inter *Codd. Patristicos* hoc *Vol.* relatus certum facit; ornatus enim utriusque ita geminus est, ut non ovum ovo magis.

XLV.

- R. 8 Codex membraneus lat. Sec. ut videtur, IX. Foll. nunc 222. f. maj. literis Langobardicis luculentis per duas columnas exaratus, initiis picturatis, a *Michaele Troyso* U. J. D. quondam donatus *Archivio Domus SS. Apostolorum Clericorum Regularium de Vrbe Neapolis*, atque inde in Palatinam nostram delatus complectitur *Partem I. S. Bibliorum* edit. vulg. a *Genesi* ad *Judices*, eamque mutilam; est enim nunc initium a C. XXX. *Gen. v. 26. meam. Da michi uxores et liberos meos* &c. *Fol. 30. minio: Explicit liber genesis. Incipiunt capitula libri exodi. De infantibus hebreorum quos precepit pharao in flumine proici. &c. Numerantur ejusmodi Capitula CLIX.* caractere minori perscripta. *Fol. 73. Explicit Exodus. Incipiunt Capitula Libri Levitici. Locutus* Denis *Codd. Theol. V. II. P. I.*

*est dominus ad moysen de tabernaculo testimonii et de sacrificiis. &c. numero LXXXIV. Fol. 104. Explicit Liber Leviticus. Incipit Capitula De Lib. Numeri. Recognitio duodecim tribuum facta a moysen et aaron! et a duodecim principibus a uiginti annis et supra preter leuitas. &c. numero LXXIII. Fol. 150. Explicit Liber Numeri Qui Appellatur Hebraice Vaiedabber (III.) Incipiunt Capitula De Libro Deuteronomii. At vero haec absunt, unius modo columnae spatio vacuo eis relicto. Fol. 188. p. 2. Explicit Helleaddabarim. Quod Nos Dicimus Deuteronomium; et statim absque capitulatione sequitur Liber Josue, ad cujus calcem fol. 215. p. 2. notatur: Explicit Josue Ben Nun. Incipit Sophthim. Id est Judicum. A fol. 223. luculentus ille character in minorem, sed aequae coevum, mutatur, et quidem C. V. v. 14. columnaeque dilatantur, donec abrumpatur Codex in his C. XVIII. v. 6. verbis: Qui respondit eis: Ite — Quod sane dolendum non solum ob ejus adcuracionem, sed etiam venerandam speciem, et aevi illius καλλιγραφία. In Monasterii cujusdam usibus eum olim fuisse declarant *Lectiones* in ecclesiastico Officio per annum haberi solitae hinc inde minio adsignatae.*

XLVI.

- Codex membraneus lat. Sec. R. 955 XIII. Folior. 284. f. maj. jam per duas, jam per tres, etiam quatuor